



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XII. Vtrum omnis, & solus viator sit idoneus minister Sacramentorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

August. lib. 19. contra Faust. c. 13. Quia videlicet sacramenta, tam antiqua, quam noua instituta sunt dependent à Christo, tanquam à causa eorum omnium meritoria, potente inducere præmium etiam pro tempore physice antecedenti ad existentiam ipsius, ut dictum est in quæstione 41. de Incarnation. non minus quam pro tempore sequenti. Cum hoc tamen discrimine, quod pars præmij suprema, & vltima in vnoquoque genere, & ad quam reliquæ partes præmij, ut ad finem ordinantur, non potest existere tempore antecedenti ad meritum, sed debet ad ipsum etiam physice consequi, ut ibidem notatum fuit. Ergo sacramenta nouæ legis existentia post Christi meritum, ad quæ ordinabantur anteriora sacramenta, debuerunt esse maiora, ac meliora. Deinde respectu institutionis sacramentorum nouæ legis exercuit Christus causalitatem præterea ministerialem, ac instrumentalem, ut superius dictum est. Effectus autem Ministri, & instrumenti nobilioris debet esse nobilior. Denique, ut dicebatur in superiori comparatione, malitia hominum fuit similiter longè maior sub finem temporis legis scriptæ, quam sub initium, ideoque oportuit apponi remedium maius institutis sacramentis præstantioribus.

Art. 12. Sunt autem præstantiora Euangelica, non solum quoad efficacitatem communicatiuam gratiæ de præsentis, & immediatè, sed etiam quoad significationem, & vim excitatiuam, instructiuam, ac illuminatiuam mentis humanæ; tum propter additamentum verborum, quæ tenent principatum in significando, tum propter delectum rerum habentium perfectissimam analogiam cum gratia sacramentali, ut innosceret in expositione singulorum sacramentorum. Hoc vnum modò notandum est illis omnibus commune, materias eorum, & formas significare perfectionem, & excellentiam gratiæ sanctificantis, non secundum se, & in abstracto, sed relatiuè ad subiectum, cui confertur sacramentum, & secundum munus, quod exercet circa ipsum dependentem ab vnoquoque sacramento; idque iuxta captum omnium vbiq; hominum; siquidem omnibus indiscriminatim consultum est sacramentorum institutione. Eiusmodi autem res, & voces, patet necessario esse viles, & notas idiotis etiam, & vñbus humanis circa curam corporis accommodatas; nec nisi paucas esse posse, quæ cum tanta vilitate simul habeant præstantissimam symbolicam proportionem cum effectibus formalibus circa animam.

Art. 13. constat igitur, conuenientissimum fuisse; ut instituerentur sacramenta pro statu naturæ lapsæ, ut alia aliis succederent, iuxta diuersam hominum conditionem contingentem pro diuersis temporibus; sicut alia, & alia opera præscribuntur hyeme, & æstate cum laude vtrorumque; ut posteriora essent prioribus semper præstantiora; præstantissima verò post Christum, eaque ipsa de causa pauciora, & vñbus, ac vbiq; obuiis rebus deuincta. Atque per hæc simul cum cæteris, quæ præmissa sunt, satis patet ad obiectiones, quidque in illis concedendum sit, quid negandum, quid distinguendum.

QVÆSTIO XII.

Virum omnis, & solus viator sit idoneus minister Sacramentorum?

Videtur nec omnis, nec solus esse idoneus. 1. Quia Angeli, & animæ separatae possunt exequi omnes actiones exequibiles ab homine viatore circa sacramentum. Possunt enim edere omnes ver-

borum sonos, quos homo viator; & materias eodem prorsus modo, ac ipse, applicare, & exhibere. Causa autem potens exequi omnes actiones quas potest exequi alia causa; potest proculdubio, & effectus exequi omnes, quos eadem potest. Ergo sacramenta possunt perficere Angeli, & animæ separatae non minus, quam possit homo viator.

2. Communiter recipitur, ut vera narratio Nicephori lib. 11. cap. 20. de Amphiloquio ab Angelis consecrato Episcopo, reliquis Episcopis eam ordinationem habentibus ratam. Quod fieri non potuisset, si Angeli non essent idonei Ministri.

3. Ex Suarez: In testimoniis sacris, ex quibus constat de ministerio sacramentorum hominibus commissio non exigitur conditio viatoris, nec sit vlla eius mentio. Ergo homo beatus, non minus, quam viator in illis comprehenditur; siquidem vterque eandem intentionem concipere, & easdem actiones eiusdem infimæ speciei efficere possunt. Extant præterea multæ historiæ fide dignæ de huiusmodi ministerio beatorum. Ergo non solus viator est idoneus minister.

4. Homo rediuius, & inter mortales mortalis iterum constitutus est viator, sicut erat antequam moreretur; & nihilominus non est idoneus sacramentorum minister. Quod quidem videtur certum de iis sacramentis quorum administrandorum potestas est inseparabiliter coniuncta cum iurisdictione. Quia omnis humana iurdictio expirat per mortem habentis illam, nec redit redeunte vita, ut fert communis, & certa scientia. De reliquis verò eadem videtur esse ratio, maxime cum potestas administrandi quoduis sacramentum, ad aliquod iurisdictionis genus, reducatur. Ergo non omnis viator est idoneus minister sacramentorum.

5. Multi præterea viatores excluduntur à ministerio sacramentorum; tum propter defectum physicum rationis, ut pueri, & amentes, quos certum est non posse sacramenta validè conficere; tum propter defectum moralem puritatis conscientiæ, quem patiuntur omnes peccatores, quos ab eo ministerio excludit illud Ecclesiast. 34. 4. *ab immundo quid mundabitur*: Mandat verò qui sacramentum ministrat, & peccator est immundus. Accedit neminem dare quod non habet; dant autem, qui sacramentum ministrant, gratiam, eandemque non habent peccatores.

Art. 1. Respondetur. Quandoquidem omnibus indiscriminatim substantiis rationalibus, & quibusvis seorsim, ac priuatiuè potuit absolute committere Deus sacramentorum administrationem; quibus potissimum de facto ea commissæ sit ex vi præsentis institutionis, eruendum est ex testimoniis sacris, in quibus talis commissio continetur. Hæc autem testimonia ad solos homines diriguntur. Cum ipsis enim sermo erat, cum diceretur circa Eucharistiam: *hoc facite in meam commemorationem*: circa baptismum: *docere omnes gentes baptizantes eos*: circa poenitentiam: *quorum remisistis peccata*: circa extremam unctionem: *inducat presbyteros*: de ordine, & confirmatione est eadem Ecclesiæ traditio: de matrimonio res est clara, cum eius ministri sint ipsi contrahentes. Solis igitur hominibus delegata est per institutionem præsentem potestas perficiendi, ac ministrandi sacramenta. Eandem restringi ad solos viatores satis colligitur ex iisdem testimoniis, utpotè directis ad homines viatores, in quorum persona non possunt absque speciali mentione subintelligi, ac representari Beati, utpotè pertinentes ad rempublicam diuersam, & diuersæ conditionis, & sub diuersis institutis existentes, nec spectantes ad sensibilem nobiscum societatem, & mutuam communicationem, ad quam pertinent sacramenta.

Art. 2. Idem innuit, ut aduertit Cardinalis de Lugo, *illud*

illud ad Cor. 11. 26. circa Eucharistiam: *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*: id est dum durat status viatoris, & illud Iac. 5. 14. circa extremam unctionem: *inducat presbyteros Ecclesie, & rursus: oratio fidei saluabit infirmum*. Vbi exigitur minister, qui sit presbyter Ecclesie militantis, & capax fidei, cuiusmodi est solus viator. Eodem pertinet, vt subiungit Meracius, paritas ex potestate offerendi sacrificia, quam solis viatoribus collatam esse colligitur ex 5. ad Hebræos 2. Præmissis enim Pontifice potente offerre sacrificia, hæc eius additur conditio; *Qui condolere possit illis, qui ignorant, & errant; quoniam, & ipse circumdatus est infirmitate*. Quod soli conuenit viatori. Eadem autem est ratio de sacramentis; quæ videlicet pro iisdem instituta sunt, pro quibus, & sacrificia.

Art. 3. Iam verò nullus vtriusvis sexus viator, dummodò sit rationis compos, quam conditionem manifestè præferunt superiora omnia testimonia, & natura ipsa rei: Nullus inquam excluditur ab administratione omnium penitus sacramentorum; licet pro aliquibus peculiare præterea conditiones requirantur, de quibus dicitur circa sacramenta in particulari. Igitur iuxta præsentem institutionem, & ex natura rei omnis, & solus viator, est idoneus minister sacramentorum secundum communem, & genericam rationem sacramenti.

Ad 1. Pro æquali potestate circa effectus morales pendentes ab alterius voluntate, & commissione non sufficit potestas æqualis ad easdem omnes actiones physicas. Sacramenta autem sunt effectus morales, & eorum minister pendet à voluntate, & commissione Dei.

Ad 2. Supponitur à Nicephoro eam consecrationem fuisse factam inuisibiliter, ac insensibiliter. Quare nullum ibi interuenit sacramentum formaliter, sed tantum æquiuenter, & quoad sacramenti effectum. Deinde vt sacramentum etiam formaliter interuenisset ex vi institutionis, & commissionis vniuersalis reuelatæ toti Ecclesie, sed ex noua institutione, & commissione speciali facta à Deo per prouidentiam extraordinariam determinatè pro illo euentu. Quod nihil probat contra conclusionem; quæ videlicet procedit de ministro ordinario habente facultatem ex vi præsentis institutionis, quatenus manifestatæ vniuersaliter Ecclesie. Altero ex his duobus modis exponendæ sunt etiam hæc historiae, quæ insinuantur in tertio. Et vniuersim conclusiones Theologicæ habentes fundamentum in doctrina Ecclesie reuelata, non sunt statuendæ iuxta historicas narrationes auctorum particularium, sed hæc potius sunt accipiendæ, ac diiudicandæ iuxta illas.

Ad 3. Iam apparuit in testimoniis sacris fundamentum excludendi Beatos, eosdemque, licet possint concipere, & exercere eandem physicè intentionem, & actiones, quas possunt viatores, non tamen possunt easdem moraliter, & quoad effectus morales.

Ad 4. Homo rediuius retinet, sicut si mortuus non fuisset, quæ sibi ante mortem inerant dependenter à sola voluntate Dei, cuius nimirum intuitus, & intentio complectuntur æqualiter omnes temporis differentias, & casus; licet non retineat, quæ inerant cum aliqua immediata dependentia à voluntate hominis; cuius videlicet intentioni quoad ea, quæ vitam hominis respiciunt, ita mors limites præscribit, atque si possibilis nullatenus esset reditus ad vitam. Datur enim hominibus mutua facultas circa res eiusmodi sibi connaturali, idèque deuincta soli durationi ipsorum naturaliter contingenti. Quapropter redit cum vita potestas perficiendi, ac ministrandi sacramenta, & iurisdictio, seu quasi iurisdictio, quæ inerat ante mortem dependenter à sola voluntate diuina instituyente eadem sacramenta; licet non redeat iurisdic-

ctio, & potestas connexa cum iurisditione, quæ inerat cum dependentia à voluntate etiam, & intentione humana. Cognita porrò ista ratione differentie in genere facile cuius, ac obuium est deducere conlequentias circa singula.

Ad 5. Quoad primam partem; viator non intelligitur in conclusione, vt patet ex eius fundamentis, qui talis sit solum negatiue, & passiuè, id est non habens finem suum, & potens habere per actionem alterius; sed positiuè, & actiuè, id est potens tendere ad finem suum per proprios actus, idèque compos rationis. Quoad alteram partem certum est ex fide sacramentum posse validè perfici à peccatore, & immundo, vt constat ex Tridentino sess. 7. can. 12. de sacramentis, & tueretur Bellarminus, Suarez, & alij in præsentii. Quare locus Ecclesiastici accipiendus est de mundatione ex opere operantis, & per se, non ex opere operato, & per sacramentum, in quo diuina virtus secretius operatur. Vel dicatur à *ab immundo*, esse ibi neutrius generis pro re immunda. Iam qui aliquid non habet, potest nihilominus illud dare, vt minister habentis; & sic dat gratiam minister perficiens sacramentum. Est enim in ea re minister Dei, qui est principalis auctor gratiæ.

Q V Æ S T I O XIII.

Utrum intentio ministri de serâ exequutione externa sufficiat ad valorem sacramenti.

V Idetur sufficere. 1. Quia ad valorem contractuum & cuiusvis alterius actus legitimi, sufficit si exterius hæc actiones præstentur seriò, quæ pro illis perficiendis præscribuntur; tamen si fiant ficto animo, dummodò fictio sit purè interna. Ergò idem etiam sufficit ad valorem sacramenti; quandoquidem committitur homini humano modo perficiendum, & per quendam quasi contractum de conferenda gratia quoties tales actiones sensibiles exhibitæ fuerint.

2. Ad existentiam cuiusque effectus pendens ab aliqua conditione, & tantum voluntates, & actiones requiruntur, quæ sufficiunt ad ponendam conditionem, eaque posita ad ponendum effectum. Gratiæ autem, quæ per sacramenta confertur, pendet tanquam à conditione ab exteriori materia, & formæ exhibitione, quæ solæ sunt sensibiles, atque ad positionem istarum sufficit voluntas ministri terminata ad ipsas secundum se, eisque positis sufficit similiter sola Dei voluntas ad ponendam gratiam. Ergò nulla alia specialis intentio requiritur ex parte ministri.

3. Si adhibitis materia, & forma, omnibusque actionibus exterioribus requisitis ad perficiendum sacramentum; fieri nihilominus posset, vt illud euaderet nullum, eiusque effectus suspenderetur ob defectum alicuius specialis intentionis purè internæ ex parte ministri; nemo posset vnquam esse certus de sacramento re ipsa validè suscepto, & de gratia per ipsum obtenta. Quod est magnum inconueniens, utpote auferens consolationem fidelium, cuius intuitu instituta sunt sacramenta; ipsamque rationem sacramenti, quæ consistit in collationis gratiæ sensibilitate, repugnante, vt pater, dependentiæ eiusdem gratiæ ab aliquo purè interno, & nullatenus apparente exterius.

4. Baptismus ab Athanasio puero pueris alijs administratus per iocum, approbatus fuit ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, & S. Ginesius recipiens baptismum in theatro mimice, & ad contemptum Ecclesie catholice, commonitus fuit ab Angelo de efficacia illius aquæ ad remissionem peccatorum, atque per ipsam iustificatus de facto fuit; vt referunt ex probatis auctor